

Q.K.  
386  
17

Π d  
128

# ROLANDUM MAGNUM

VARIIS FABULARUM INVO-  
LUCRIS EXPLICATUM,

VERITATIQUE RESTITUTUM,

CONSENSU

*INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,*

PRÆSES

M. GODOFR. SCHUMANNUS,

Belgra-Misnicus,

ET

RESPONDENS

DAMIAN Blumencöder / Numb.

Misn. SS. Th. Stud. P. L. C.

PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SISTENT

D. XXIII. JUNII, A. CIO. IDC. XCIV.

LIPSIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



MAGNIFICO  
SUMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO  
NEC NON  
DOCTISSIMO,  
DOMINO  
GEORGIO LEH-  
MANNO,

S. S. Theologiæ Doctori, & in Academiâ  
Lips. P. P. celeberrimo, Facultatis Theologiæ p. t. Decano  
Spectabilissimo, & ejusdem ut & Consist. Electoralis & Du-  
calis Assessori gravissimo, Ecclesiæ Cathedralis Misnensis  
Canonico plurimum Reverendo, Ad D. Nicolai Pastori &  
vicinarum Superintendenti, de universa JESU Christi Ec-  
clesiâ longè meritissimo, Minoris principum Collegii Col-  
legiato, Academiae Decem viro, Nationis Misnicæ  
Seniori gravissimo,

Domino Patrono & Promotori  
suo æternùm devenerando

*tenuem hanc Dissertationem*

in magnæ observantiæ pietatisque  
monumentum non magnum

*Ponit consecratuꝛq;*

PRÆSES.

*VIR MAGNIFIC E.*



Uobus magnis BELGRA inclaruit vi-  
ris, alter est Rolandus Magnus, cujus lapidea  
ibidem spectatur statua; Alterum in V. Ma-  
gnif. veneramur imagine, GEORGILEH-  
MANNE, Doctor & profundâ Eruditionis  
amplitudine, & sincerâ vitæ probitate, opti-  
misque in Ecclesiam Christi meritis Maxime, quo nascente  
magnam accepit Patria lucem ac nobilitatem. Illius famam  
cum aliis civitatibus urbs habet communem. Vestri vero  
Nominis gloriam propriam sibi vindicat. Contendant  
inter se Græciæ civitates, vincat una reliquas, indubitato ta-  
men non constabit, utri harum præcæteris Homeri debeatur  
nativitas; Sed quis tam audax, qui sese in nostræ felicitatis  
societatem ingerere velit? Sola Belgra tulit eum Doctorem  
Theologum, quem DEUS tam præclare ornavit, tantis ho-  
noribus auxit. Lætantur proinde Belgrani & Belgræ decus  
splendidissimum ut sospes diutius servetur, unanimi voto-  
rum consensu precantur omnes. Omnium in V. Magnif.  
conversi oculi, omnium studia, omnium observantia, quin  
imo Nomini vestro inest veneratio. Hinc judicatu facile est,  
quid me, eodem, cum V. Magnif. solo natali oriundum im-  
pulerit, ut levem hanc de Rolando, tanquam de re domesticâ  
agentem Vestro Nomini inscriberem Dissertationem. Igno-  
sces, VIR Plurimum Venerande, cujus ex facie divina quæ-  
dam elucet majestas, impiis terror, solatium miseris. Nec erit  
ingratum, confido, cum patriæ amore flagres, & civibus e-  
jus benè cupias: Plura non addo, certus de favore, præter-  
quam ut venerabilem Vestram Canitiem observantissimæ  
attentissimæq; supremi Numinis curæ indefessis pro omni-  
genâ salute precibus committam & esse perseverem

Datum Lipsi, d. XXXIII, Jun. M, DC, XCIV.

Vestri Magnif. Nominis  
Cultor Perpetuus

M. GODOFREDUS SCHUMANNUS, Belgrâ Misn.

Q. B. D. D.

## Prooemium.

**M**ulta subierunt animum, de constituenda dissertationis materia cogitantem, argumenta, quae Philosophici certaminis fortunam hactenus, quod constabat, nondum fuerant experta; sed nescio, quo Patriae amore ductus eam anteferre omnibus constituerem. Alta scilicet mente reponi fas est, quae juris Natura praeceptis solo natali praestare officia jubemur. Maximam enim post Deum Patria pietate colenda est & dum demum Parentes suam sibi vindicant partem, post haec aliis rebus collocare operam licebit, oportebit. Haec cum rectè meminero, BELGRÆ, ubi in lucem editus fui, persolvere, quod debebam, erat animus, ejusque originem incrementa ac decrementa ab initio repetita literis consignare meditabar. Enim verò cum certi quid hanc de re ex Curia Annalibus expectarem, monumenta flammis ex improvviso hostium astutia obortis consumpta esse comperi. Quo nuncio accepto non solum dimoveri à proposito non potui, sed magisque accensa fuit cupiditas vindicandi ab oblivione oppidi mei fata. Namque rebus Patriae lapsis succurrere gloriosius majorisque pietatis documentum est, quam stantibus superbire. Denique nullam sufficienter per vestigandi quicquam copiam facta, curas converti in ROLANDUM, cujus statuam in foro apud nos positam pro insigni urbis habemus. Instituti hujus ratio placet idè, tum, quia propius spectat ad Patriam, tum quia sic nemo facile objiciet, me, aliena dum curem, quae domi sint, nescire. Accipe igitur L. A. quae de ROLANDO duobus capitibus referam, prius tritas & confictas fabulationes recenset; posterius veram historiam cum decisione subjunget. Coeleste Numen quod singula novit, falsa odit, vera amat, ita me regat, ut vera à falsis, genuina à suppositis discernere queam.

CAP.

CAP. I.  
Varias variorum fabulationes  
continet.

§. I.



**N**E indignè feras L. A. primum hoc caput fabulosis narrationibus refertum apponi. Sunt, quorum ad aures Rolandi nomen pervenit, ignari, quamobrem ejus fama tantoperè celebretur. Juvabit ergò brevibus percurrere, quæ edita ab eo facinora vulgus olim credidit. Falsa interdum referenda, ut ab iis eò meliùs nobis caveamus. Quid? quod vitia sæpenumerò recensentur, quò cognitâ eorum turpitudine virtutibus magis studeatur.

§. 2. Charta, quam Dissertationi destinavimus, non caperet omnia, quæ temporum Annalibus irrepserunt mendacia. Narrabimus pauca, plurima mittemus. Monachus forsitan, nî fallor Robertus quidam, harum fabularum Autor & inventor fuit, qui cum Carol. M. historiam admixtis nugis primus corrumperet, Johannis Turpini nomen & Archiepiscopi Rhemensis dignitatem falsò sibi affinxit, libroque suo titulum hunc præposuit. Hujus autoritate decepti postmodum sunt omnes fermè Annales.

§. 3. Rolandus, inquit iste, Dux exercituum, comes Cenomanensis & Blavii Dominus, Nepos Caroli M. filius Ducis Milonis de Angeris, natus Berthæ fororis Carol. Johan. Turp. Cap. XI.

§. 4. Rolandum fuisse Comitem Palatinum narrat Spangenberg in Chron. Sax. Cap. 74. & alii Treb. Hubertus Thomas Leod. in appendice fol. 5.

§. 5. Numeratur inter Comites Car. in præcepto evindicatorio de anno 776. Tunc nos, ait Carolus, unà cum fidelibus nostris i. e. Hagino, Rothlando, Wichlingo Frodegario Comitibus; nec non & vassis nostris Theodorico, Bertholdo, Albuino,

Fridborto, Guthmalo, taliter visi fuimus judicasse &c. citante  
Gryph. Cap. 8.

§. 6. Faustus Longianus Italus scripsisse legitur Orlandum, qui & Rotolandus vocatus est, Senatorem Romanum fuisse ejusque manum reperiri in multis privilegiis, ut & Oliverii & Turpini &c.

§. 7. In bello contra Saracenos inter alia imprimis memoratu dignum est, quod cum Ferracuto Gigante 12. cubitorum, de genere Goliad pugnam inierit solus. Gigas rapuit eum solâ manu dexterâ & misit eum ante se super eqvum suum. Cumque illum portaret versus oppidum, resumtis viribus suis, in Domino confisus arripuit eum per mentum & evertit eum retrò super eqvum & ceciderunt ambo simul de equo prostrati solo, statimq; elevantur à terra ambo pariter & ascenderunt equos. Illicò Rolandus spatâ propriâ evaginatâ gigantem occidere putans eqvum ejus solo ictu per medium trucidavit. Cumque Ferracutus pedes esset spatamque evaginatam manu tenens ei nimias minas intulisset, Rolandus suâ spatâ in brachio, quo spatam suam gigas tenebat, illum percussit & minimè læsit, sed spatam ejus ex manu excussit. Tunc Ferracutus gladio amisso percutere putans pugno clauso Rolandum, ejus eqvum in frontem percussit ita, ut expiraret. Deniq; sine gladiis pedites usque ad nonam pugnis & lapidibus debellârunt. Die ad vesperascente impetrabat treugas Ferracutus à Rolando. Crastinâ verò die, summo diluculo separatim venerunt ex pacto pedites baculisque sese & lapidum ictibus defatigarunt usque ad meridiem. Factis inducis Ferracutus obdormivit. Discusso somno de Christi divinitate, humanitate, nativitate, passione, morte, resurrectione inque cœlos ascensione inter se collocuti sunt. Postremo tali pacto, inquit Ferracutus, tecum pugnabo quod si vera est hæc fides, quam asseris, ego victus sim & si mendax est, tu victus sis & sit genti victæ jugiter opprobrium, victori autem laus & decus in ævum. Fiat, inquit Rolandus, & illicò paganum aggreditur. Tunc Ferracutus ejecit ictum spatâ suâ super Rolandum, sed Rolandus subsiliit ad levam & accepit ictum spatæ in baculo suo, intereà  
abscisso

abscisso baculo Rolandi irruit in eum ipse Gigas & illum arripiens leviter inclinavit subter se ad terram. Tunc Rolandus implorare cœpit auxilium filii beatæ Mariæ virginis & crexit se Deo juvante paulatim & revolvit eum subter se, & adjancxit manum suam ad mucronem ejus & punxit ejus parumper umbilicum & occidit.

§. 8. Aliud non minus admirandum referam; Fuso Christianorum à Saracenis agmine, cum his, quos tubâ revocavit, Rolandus irruit illic in Saracenos, cumque videret inter alios quendam, qui staturâ erat major aliis, uno ic̄tu secuit illum & equum ejus propria spatâ, à summo usque deorsum, ita ut pars Saraceni & equi ejus caderet ad dextram, & alia ad levam. Quod ut aliis Saraceni viderunt, illic Marsirium cum paucis in campo dimittentes fugere huc illucque cœperunt. Mox Rolandus DEI virtute fretus, intravit inter acies Saracenorum, illos ad dextram & levam præcipitando & fugientem Marsirium inter alios peremit. In eo bello centum socii Rolandi fuerunt interfecti & idem Rolandus quatuor lanceis, imò hastis & lapidibus graviter percussus usque ad pedem portuum Ciferæ per nemora, solus pervenit, ibique sub arbore quâdam, juxta lapidem marmoreum, qui ibi erectus erat in prato optimo super Ronciæ vallem equo desiluit. Habebat ipse adhuc quandam spatam secum, opere pulcherrimam, acumine incomparabilem, fortitudine inflexibilem, mirâ claritate resplendentem, nomine Durenda, quam cum evaginasset, lachrymosis vocibus dixit: O Ensis pulcherrime & semper lucidissime, longitudinis decentissima, latitudinis congrua, fortitudinis firmissima, capulo eburneo candidissime, cruce aureâ splendidissime, superficie deaurate, pomo berillino deaurate, magno DEI nomine insculpte, acumine legitime, virtute omni prædite, quis amplius tuâ virtute utetur? quis amplius te possidebit, quis tenebit, quis habebit te? qui te possidebit, erit invictus, non attonitus, non formidine inimicorum perterritus, non ullis phantasiis pavidus &c. si miles ignavus aut timidus te habuerit, si Saracenus aut aliquis perfidus, valdè doleo. His itaq; dictis, timens ne in manus Saracenorum deveniret, percussit spatâ lapidem marmoreum trino ic̄tu à summo usque deorsum lapis dividitur & gladius biceps illæsus educitur. §. 9.

§. 9. Post hæc tantâ virtute tubâ suâ eburneâ in sonuit, ut flatu omnis tuba per medium scissa & venæ colli ejus & nervi rupti fuisse feruntur, cujus vox ad aures Caroli in locum octo miliaribus distantem angelico ductu pervenit. Cumque aquæ non poterat fieri particeps solo prostratus in feriâ & prolixâ confessione & prece beati Rolandi martyris anima beata de corpore egreditur. Adveniente Car. flebili vocé deluxit eum, & corpus exanimatum Balsamo & Myrrha & Aloë condivit, & exequias magnas cantibus & luctibus precibusque circa eum luminaribus & ignibus per nemora accensis honorificè totâ nocte illa cuncti peregerunt.

§. 10. Post hæc Beatum Rolandum super duas mulas tapeto aureo subvectum, palliis tectum usq; Blaviam Carolus deferri fecit & in beati Romani basilica, quam ipse olim ædificaverat, Canonicosque regulares intro miserat honorificè sepelivit, mucronemque ipsius ad caput & tubam eburneam ad pedes scilicet ad decus Christi & probæ militiæ suspendit, sed & tubam postea aliam in beati Severini Basilicam apud Burdegalim transtulit. Excerpta hæc sunt ex Johan Trypini Hist. de vita Car. M. & Rolandi, Cap. XVII, XXII, XXIII, XXV, & XXIX.

§. 11. De mortis tempore ita variant Autores, ut Gryph. d. t. cap. XI. ad minimum sex opiniones observaverit. Quidam constituunt annum 778. alii 800. d. 13. Maj. alii 809. alii 811. alii 812. alii 813.

§. 12. Blavienses apud se natum & sepultum jactitant Rolandum. Idem Arelatenses contendunt. In monasterio Escuriali in Castilia monstratur gladius Rolandi, in quo etiam videre est cicatrix, quæ ad columnam ipsi impressa dicitur. Idem asservatur in oppido sancti Dionysii prope Lutetiam Gladius & cornu eburneum ostenditur etiam ad Roncevallim ubi occubuit, vid. Gryph. d. I. cap. XII. ubi Autores simul allegatos invenies.

§. 13. Maxima Autorum pars à Carolo M. in honorem Rolandi sororis suæ filii tum propter propinquam generis cognationem tum propter invictam ejus fortitudinem statuas in publico erectas volunt, ut Georg. Fabr. Libr. VII. Orig. Saxon. Rein. Reinecc.



necc. ad Annales Poëtæ anonymi, Erpold Lindenbr. in Chron. Car. M. fol. 156. & 269. &c. Alii ab ipsis Saxonibus collocatas credunt, ideò quod singulari clementia fuerit usus in devictos & varia ipsis concesserit privilegia, ut Ernest. Brotuff. Lib. I. Chron. Martispurg. Gvilhelm. Dilich in Chron. Brem. fol. 39 &c.

§. 14. Sed quorsum hæc inania & lectu & scitu & creditu indigna. Hæcce exscripsisse jam pœnitet, plura excerpere nimum tædet. Difficilis enim ineptiarum labor. Ad vera itaque tradenda nos accingemus.

## CAP. II.

### Veram Rolandi historiam exhibens.

#### §. I.



Uti vitas clarorum virorum exponunt, ordiuntur plerumque ab eorum genere, si modò de eo notitiam habere possint; Mihi dum Rolandi historiam variis fabularum involucribus expediendam sumsi, aliâ viâ incedendum erit. Disquirere prius oportet, utrum talis ac tantus heros inter vivos unquam degerit? propterea quod fabulosa antiquitas non rarò ficti nominis virum tanquam virtutum exemplar, posterorum ob oculos ponere consuevit.

#### II.

Rolandum aliquem sub Carolo M. militasse, eundemque Brittanici littoris præfectum fortiter pugnando contra Gascones in Hispania prope montem Pyrenæum anno 778. occubuisse certum est. testatur id Eginhardus cui vel ideò præ cæteris astringenda fides, quod illo tempore vixerit & in commemorandis aliis rebus fide dignissimum sese præbuerit. censente Trithem. de vir. illustr. cap. LXXXIV, &c. pag. 6.

#### B

#### III.

## III.

Quod autem ille arma contra Saxones tulerit ipsique propter egregiam belli virtutem in urbibus Saxonice vel ab Imperatore ipso, seu ut aliis videtur ob singularem inde victos clementiam à subjugatis domitisque gentibus statuæ in publico erectæ sint, ante Turpini nugas nemo scriptum reliquit.

## IV.

Si enim temporis habetur ratio, incidit Rolandi suprema dies in annum 778. an. autem 772. ejusdem seculi bello invasit Car. M. Saxoniam incolas, quos naturâ feroces corporibus robustos, manu strenuos, laborum patientes intra sex annorum (intantum Rolandi ætas extenditur in hoc bellum) spatium non fregit, sed triginta consumebantur anni, priusquam victas manus darent, imperataque sese facturos promitterent. Quomodo ergo exercitui cæsareano in Saxonia belligeranti interesse potuit, qui oris Hispaniæ maritimis præfectus contra Gascones pugnare debebat?

## V.

Mirum prætereà & res suspitionis plena est, quod Duces in bello Saxonico strenui cum omnes fermè commemorantur ab Eginhardo, Rolandi, cujus tamen præclare facta præ cæteris eminere dicuntur, mentio non fiat. Exinde Rolandum tam stupendis fabulis celebratissimum Saxoniam vix unquam vidisse, minimè vicisse non sine causa suspicor.

## VI.

Quod si igitur tantam sibi Annalium scriptores sumere scribendi licentiam in rebus, quas confecisse eum jactant, cum tamen de terrâ inter ipsos non conveniat, inquâ vixisse & tanta facinora edidisse dicitur; Cupido incessit animum ulterius inquirendi & accuratius perlustrandi ejusdem natales.

VII. Su-

## VII.

Superiori tempore Rolandi profapiam ad Car. M. Imperatoris genus majores nostri retulerunt eundemque nepotem Car. M. ex sorore, cui nomen Berthæ, ad unum omnes crediderunt. At Joh. Gryphiand. D. tract. de jure Weichbildico cum in hoc versaretur argumento & antiquitatis fidem probe exploraret, in eam tandem deflexit opinionem: si Rolandus inquam, nepos fuit Car. M. ex sorore, aut legitimâ cognatione avunculum suum attigit, aut illegitima.

## VIII.

Legitimam cognationem non intercedere, duobus probat argumentis, quorum prius ex Eginhardo mutuatur, qui disertè scripsit hisce verbis: Erat ei scil. Car. M. UNICA SOROR, BISLA nomine à tenera statim ætate religiosæ conversationi nuncupata: Quæ etiam paucis ante obitum ipsius Car. M. annis in eo, in quo vixerat, monasterio sine prole decessit.

## IX.

Alterum argumentum à certitudine Chronologicâ petitum itidem non fallere autumat. Verum, quia ab aliis annotatum invenio, epitaphium istud, cujus inscriptione, (quæ hæc est: Tu Patriam repetis tristi nos orbe relinquis &c.) potissimum hoc Autoris argumentum nititur, non in Rolandi honorem sed in memoriam primogeniti fuisse erectum, cujus obitum impatientius paulò ferebat Imperator; lubens prætermitto illud, ne anxiam & minus convenienti argumentorum conquisitione causam, quæ optima est, suspectam reddere videar. Prius ex Eginhardo adductum testimonium aliorumque fide dignissimorum Annalium consensus, tanti jam sunt roboris, ut aliunde quærere auxilium necesse non habeam.

## X.

Dices: epitaphium Treviri in monasterio S. Maximini, cujus inscriptio hæc est: Ada ancilla Christi, Soror Car. M. dubium me reddit, quo minus huic opinioni subscribere queam. Resp. quam infida & incerta epitaphiorum fides sit, pluribus deduxit Frider. Tilemannus in Discurs. philol. Se ipsos prætereà confundunt, qui Car. M. plures unicâ tribuunt sorores, dum alii earum quinque, alii septem numerant, alii Joh. Leonem Papam pro fratre Imperatoris venditant. Falsitas enim sibi nunquam constat.

## XI.

Porro cum legitimam generis cum Car. M. connexio evinci non potest, nec, quo amplius se tueantur, Rolandi Patronis super est, ad illicitum & impurum provocant torum, non advertentes, quod plus ignominia, quam gloria accersant ei, cujus natales illustrissimos esse cupiunt. Sic enim Rolandi aut avum aut aviam adulterii incusare, matrem verò ejus spuriam affirmare coguntur. Quæ generis exinde nobilitas? Accedit quod nec habeant conjecturas saltem probabiles, quibus ortum infamem asserere possint.

## XII.

Persuasissimum itaque mihi habeo, Rolandum non sanguine regio satum, nec matrem ejus, nomine Bertham (si modo ita nominata) Car. M. fuisse sororem. Dubium excelso, an humili loco natus sit. Ni plurium Deorum memoria è Saxonum animis, illato Evangelii lumine, deleta fuisset, è Martis congressu genus fuisse confictum facile crediderim. At verò obstante pristinis moribus religione non altius nec illustrius quicquam habentes Fabulatores, è Regibus deduxere ejus originem.

## XIII. Hu;

## XIII.

Humanæ magnitudinis modum non superasse neq; ad giganteam corporis proceritatem proximè accessisse plus uno testimonio comprobari potest. Ingenti eum fuisse habitu, prout tum temporis magni à parentibus maturis nascebantur liberi, non ibo inficias. Quoniam verò hominibus in corporum majestate veneratio est, magnorumq; operum non alios capaces existimat vulgus, quam quos eximiâ specie natura donavit, idcirco Turpino Rolandi staturæ aliquid super addere placuit, ut eò citiùs prodigiorum suorum fidem impetraret.

## XIV.

Comitis Palatini dignitas Rolando prorſus derogatur, ex eò, quod non primo loco scribitur in edicto evindicatorio Car. M. quod tamen fieri debebat Palatino, qui proximus erat à Rege. Parum moveor illâ sepulchri apud Blaviam in Xantonibus inscriptione. Suspicio enim est. Comites Cenomanenses Palatinatum ab antiquo sibi suisq; monumento hoc vindicare voluisse. Ambigo, nec immeritò, an nudi saltim Comitis titulus ipsi concedendus. Multa obstant, largiar tamen, si abusivè hoc nomen pro alio quocunque officio sive militari sive civili usurpatum intelligas. De hâc vocis acceptione vide Adam Bremens. in hist. Eccles. cap. 207. Hoc omnium certissimum. stipendia meruisse sub Car. M. & Præfecturam in Hispaniâ maritimam exercuisse.

## XV.

Quæ res gestæ ab eo circumferuntur, pro monstrosis & ineptis merito accipiuntur figmentis, quorum Autor omnium primus uti diximus fuit turpissimus suis mendaciis Turpinus, falsò Archiepiscopus Rhemensis dictus. Si enim cæteris belli Ducibus fortitudine præstitisset, mirum, præ-

clare ejus gesta à coætaneis scriptoribus silentio fuisse involuta. Belli gloriam ipsi quidem non denego, primo autem Heroum loco eum ponere valde dubito.

XVI.

Ea olim fuit conditio Heroum, quorum virtutibus respondit fortuna, ut in altissima honoris fastigia evecti, à circumcirca prostratis adorarentur, summisque ad cœlum laudibus extollerentur. Post paulò defuncti majestate mortalium oculis subtractâ, durante adhuc populi benevolentia, quilibet majora gloriandi, si mavis fingendi, de suo principe occupavit materiam, præsertim cum diis inferendi vigeret consuetudo. Sed uti ea felicitas, mutato inconstantis vulgi amore, omnibus non obtigit; Ita malè sana plebs in alium forte incidens per intervallum temporis tribuit laudem, cui minus debebatur. Erit jam ut colligas, quâ factum, ut tanto fabularum numero posteris innotuerit miles Rolandus.

XVII.

Ferro prope Roncevallim periisse consentiunt omnes cum manum consereret cum Gasconibus. Procul dubio Blavia, humatus jacet. Cætera sepulchra aliis in locis ostendi peregrinantibus solita fallunt. Ita est, quem antea magna molientem omnes fermè oderunt, impediverunt, isto post fata partâ feliciter gloria omnes fermè gloriari cupiunt.

XVIII.

Quæris, undenam stantes in foro quarundam civitatum Colossi Rolandi nomen acceperint? Accipe, plurima paucissimis complectar. Neque à Car. M. neque ab ipso Rolando, neque à Saxonibus in Rolandi honorem erectos esse firmissimis ex rationibus hætenus benè commentatus est Joh. Gryph, cap. XIX. Enim verò liceat in  
in-

inquirenda collocationis verâ causa atque occasione illum deserere & sequi Illustrem Dn. Rhet. in Dissert. Juris publici de stat. Roland. ubi probabilius mentem suam ita exponit: Cum Carolus M. Saxones penè devicisset, Venedisque cis Havelum Brandenburgum versus habitantibus e-jectis Harlungos substituisset, de quo apud And. Angelum in Annal. March. Brandenburg. in celebratis vicis vel burgis, a novis istis incolis, uti Brandeburgi Car. M. statuatam esse positam, tam in immortalitatis partæ gloriæ signum, quo M A G N I nomine ornabatur, quam quod hæc ipsa loca Car. Imperio jam subjacerent. Horum exemplo deinde motos vicinos Saxones eidem Car. vel aliis Imperatoribus columnas collocasse. Post hæc cum statuæ primum lignæ vetustate ac tempestate collaberentur & magna populi in eas esset religio, lapideas fuisse erectas, inscriptione velex Turpino ipso, vel temerè eum sequente, quasi Rolandi sint sacræ, substitutâ. Hæc statuarum ratio non contemnendis Annalium suffragiis potest stabiliri. Dress. Chron. Sax. p. 404. seqq. alique cautiores. His itaque positis innumera solventur dubia, quæ aliàs invicta sunt futura, quamdiu Magdeburgenses Ottoni Ruffo Colossum ejusmodi primum erexisse creduntur.

XIX.

Hæc pauca fuerunt quæ de Rolando differere volui. Restaret, ut cujus libertatis indices sint hæc statuæ, declararem; sed instituti mei non est, qui Rolandi vitam solummodò persequi animum induxi. Componant hanc litem, qui explicationi juris publici operam navant, mihi, decurso Dissertationis spatio, fabulas removisse veramque historiam enarrasse in præsentis sat est,

Corol.

QK 7 d 128 x 288 6352

# Corollaria.

1.  
Syllogismis secundæ & tertiæ figuræ carere  
possumus.

2.  
Accentus Hebræi divinam habent originem.

3.  
Christus rectè dicitur Heros.

4.  
Homines post mortem non redeunt ad suos,  
neque in Domibus tumultum excitant.

5.  
Reduntionem animarum separatarum cum  
corporibus suis Ethnici non potuerunt cogno-  
scere.

6.  
Ars mnemonica multùm juvat memoriam.


7.  
Dissertationes historicæ nequaquam sunt fa-  
cillimæ.



nc

VD 17





ROLANDUM  
MAGNUM

VARIIS FABULARUM INVO-  
LUCRIS EXPLICATUM,

VERITATIQUE RESTITUTUM,  
CONSENSU

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,  
PRÆSES

M. GODOFR. SCHUMANNUS,  
Belgra-Misnicus,

ET

RESPONDENS

DAMIAN Blumencöder/Numb.  
Misn. SS. Th. Stud. P. L. C.

PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SISTENT

D. XXIII. JUNII, A. CIO. IDC. XCIV.

LIPSIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI

BIBLIOTHECA  
PONTICKAVIANA



2  
II d  
128